

halten / daß meiner seits hiedurch der Friedensschluß im gerinsten nicht ge-
hemmet / sondern so viel immer an Wirsamkeit in allem qd. fördert werden
sollt. Wollt Ich Ew. Edd. zuverläßlicher Nachrichter Freund gnädiglich
nicht bergen vnd verbleiben deroselben mit beharrlicher Freundschaft vnd
Kaiserlicher Gnaden wohlbengethan etc. Eben auff meinem Königlichem
Schloß zu Preßburg den 28. Tag Augusti 1659.

Von
Ihr. Kaiserl. Mayst.
An
Chur. Manns abgangen.

EMINENTISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS
& Elector, Domine Clementissime.

Literæ quas Sac. Cas. Maj. Pofonio de die 18. 28. proximâ præcedentis
Mensis Augusti ad Cels. Vestram Electoralem scripsit & culpam retar-
dati tractatus Sveco-Polonici à se amoliri & in S. Reg. M. Sveciæ Regem
& Dominum meum Clementissimum conferre conatur, mihi necessitatem
imposuerunt concinnandi adjunctam Demonstrationem, eaque ipsa osten-
dere Reg. Suam Reg. Majestatem Sveciæ, omni planè culpâ vacare. Quem-
admodum verò dictæ imperiales literæ per Dictaturam ad Ordinariæ Depu-
tationis & aliorum notitiam pervenerunt: ita quâ par est reverenti devotione
à Celsitudine Vestra Electorali peto, permittat, ut huic Demonstrationi i-
dem eveniat, & ut eadem per dictaturam publicatâ Imperii Electores, Prin-
cipes & Status cognoscere possint, quid nomine Sveciæ ad tales & tam inju-
stas imputationes repositum sit. Deus conservet Celsit. Vestram Electora-
lem auctorem, statorem & Conservatorem pacis, quàm diutissimè, Franco-
furti die 9. 19. Sept. 1659.

Ad Electorem Mo-
guntinum.

Celsitudini Vestræ Electorali devo-
tione & obsequio deditissi-
mus Servitor

Matthias Biörenklou.

Demon-

99. 97

S. R. M. ^{tis} Sveciæ
RESPONSIO

Ad literas Ill. ^{mi} Ducis Mechelenburgo
Gustroviensis,

*In gratiam eorum, qui in causa Vernemun-
densi informari cupiunt,*

EDITA. 917

HOLMIÆ, Typis HENRICI Keyfers/
ANNO M. DC. LXI.

A 2

ite-
rum



Serenissime ac Potentissime Rex, Domine
 Consanguinee ac Amice Charissime plurimumq;
 honorande.

ET si non dubitamus quin Regiæ V.ª Dig.ª in re-
 centi adhuc vigeat memoriã, quoties super nimis
 duro telonij onere quod civitas nostra Rostochi-
 um multos ab hinc annos, sustinuit, conquesti apud e-
 andem simus, necessitatem tamen hanc justissimas no-
 stras querelas hac de causa repetendi imposuit nobis
 novi operis in nostro territorio prope Warnemundum
 exstructio, quod non ita pridem Gubernator Wismari-
 ensis Dominus Mardēfeld, terras nostras armatã manu
 ingressus, ad expressũ, uti dicit Regiæ V.ª Dig.ª man-
 datum, moliri cepit, eo ipso tempore, quum persuasũ
 nobis haberemus, nostras tot vicibus in justissima hac
 causa iteratas justissimas preces apud Regem justissimũ
 locum tandẽ inventuras. Verum cum Regia V.ª Dig.ª
 non solum desiderio nostro æquissimo adhuc dum non
 attendere, sed præterea quoq; fortalitem ad exigen-
 dum porro telonium in territorio nostro extruendum
 curare voluerit, non possumus quin contra incẽptum
 hoc novum opus quam solemnissimẽ protestemur &
 nobis omnia jura jurisq; remedia, adversus id ipsũ hilce
 expresse reservemus, Regiam autem Dig.ª V.ª ite-
 rum

Yarhu... Utkoini
 9584

rum rogemus, ut pro sua innatâ generositate, pro nostra justa causa, in nostram gratiâ, opus hoc inhibere & civitatem nostram Rostochium durissimo hoc telonij onere, quod juxta & singuli nostri subdiri, cum præfecturis præsertim nostri Ducatus persentimus, liberare velit. Respiciat igitur Regia V.^{ra} Dig.^{tas} petitem nostrum, quod non nisi summo jure & æquitate nititur neq; permittat ut Contra Sacri Romani Imperij constitutiones & inveteratam inter inclytæ Suediæ Reges nostrosq; Progenitores amicitiam tali modo tractemur. Etenim certi sumus, si præsens hæc civitatis nostræ omniumq; nostrorum subditorum calamitas Regiæ V.^{re} Dig.^{tas} æquitate & matura inhibitione sublevetur, summum ejus nomen & gloriam non parum auctum iri & Deum insuper (iustum omnium judicem) pro exhibita hac nobis justitia iustum aliquando præmium Regiæ V.^{re} Dig.^{tas} elargiturum quem ex animo precamur, ut Regiam V.^{ram} Dig.^{tem} longissimis annis, optatisq; rerum successibus beare dignetur. Dabantur ex arce nostra Gustrovij die 19. Junij, Anno 1661.

*Gustavus Adolphus DEI gratia, Dux
Mecklenburgensis, Princeps Vandalia, Sverini &
Ratzeburgi Comesq; Sverini, Terrarum Rostochij & Star-
gardia Dominus, &c.*

Regiæ Dignitatis Vestræ

Observantissimus Consanguineus

Gustavus Adolphus



CAROLUS DEI gratiâ, Svecorum, Gothorum Wandalorumq; Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Schariæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Brehmæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Wandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingridiæ & Wismariæ; Nec non Comes Palatinus Rheni, Bavaræ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, &c.

Illustrissime Princeps, Consanguineæ & Amice charissime. Literas Dil.^{is} V.^{re} de die 19. Junij nuper præterlapsi in Arce Gustrovio datas, ante hos paucos dies accepimus, quibus Dil.^o V.^{re} non modo de duro nimis telonij onere, quod Civitas eius Rostochium multos ab hinc annos sustinuit, conqueritur, sed etiam de novi, ut vocat, operis Nostri, prope WARMUNDUM exstructione querelas suas fundit, quasi Telonij in Territorio eius porro exigendi causa, fortalitem exstruere curemus, quo nomine quam sollemnissimè protestatur, & omnia iura iurisq; remedia sibi reservat; Nosq; rogat, ut sicuti petitem ejus, non nisi summo suo jure & æquitate nititur, non permittamus ut contra S. R. Imperij constitutiones & inveteratam inter inclytæ Suediæ Reges eiusq; Progenitores amicitiam tali modo tractetur, quemadmodum dictæ literæ huiusmodi pluribus indigitant.

Quibus ut ordine respondeatur, fatendum est non

A 3

spe-

sperasse Nos futurum, ut in re omnium clarissima & de jure Nobis debita à Dil.^o V.^a vel Eius Domo, de qua Antecessores Nostri nihil non meriti videri possint, controversia Nobis moveretur, sed eam saltem gratiam habitura fuisset, ut quod Imperator de consensu totius Imperij Nobis concessisset, eius quietum saltem usum Nobis non invideret. Cum verò res eò provehatur ut beneficijs præstitis non modo nulla gratia rependatur, sed etiam odium pro meritis referatur, adeoq; juribus Nostri perpetuis veluti vis palàm inferatur, necessitas Nobis imponitur id prolixius hac occasione explicandi, quod æquitas causæ Nostræ meretur.

Duo verò insimul hic Nobis, si Controversiæ, quam Nobis Dil.^o V.^a facit, statum inspicimus, obijciuntur, primùm quod eius subditos & Præfecturas, in primis Civitatem Rostochiensem, duro telonij onere aggravemus; deindè etiam quod fortalitium tanquam novum opus incipiamus. Ad ambo, ut sufficienter reponatur, omnium primùm, de Nostro telonij jure, postea vero de sequenti controversiæ membro disquiramus.

De priori, ut veritas & meritum causæ sibi constet, extemplò ad Instrumentum pacis Westphalicæ, tanquam ad normam & Cynosuram, Nobis recurrendum est. Monstratur autem ibidem evidentissimis verbis concessa Nobis esse moderna vectigalia (Vulgo Licentien vocata) ad littora portusq; Pomeraniæ & Megapoleos, jure perpetuo, sed ad eam Taxæ moderationem reducenda, ne Commercia in ijs Locis intercidant.

Qui

Qui Paragraphus, quanquam nulla sua vocula obcurus esse videatur, ut tamen à Dil.^o V.^a melius intelligatur, nonnulla Veritatis eliciendæ & roborandæ causa, putavimus hic repræsentanda esse.

Ea verò consistunt in ipsius Paragraphi sede & loco, qui hic merito ad genuinum eius intellectum venit considerandus; tum in verbis ipsis, quæ utiq; sunt apertissima; & deniq; actitatis in Tractatu, tam circa concinnationem satisfactionis Suedicæ, quam postea in sollennibus ipsius Tractatus Actibus.

Quod locum concernit, mox observandum venit, præmissa & in præcedentibus paragraphis Articuli X. Instrum. Pacis cõcessa, pro Suecis nõ fuisse in sufficientem & plenam Satisfactionem recensita & agnita, ac proinde nonnulla velut additamenta & auctaria fuisse apposita, interq; ea, telonij hanc concessionem fuisse numeratã, quæ defectum superiorum supplere juvaret. Est ergo huius Paragraphi locus ab ipsius Civitatis & Portus Wismariensis concessionem, quæ in paragrapho, *secundò Imperator*, exprimitur, singularitèr distinctus, ut iniquè planè adeoq; finistre agant, qui eundem sic explicant, ut Vectigalia tantum intelligenda esse in locis cessis eaq; ad Wismariensem portum ita restringenda censent, ut pro restitutione locorum in bello à Suecis tunc occupatorum, & pacis obtinendæ causa, acquisito præterea ad reliqua Littora & Portus Megapoleos, jure Nostro Nos privare contendant; plane ij quidem contra veritatem Paragraphi pugnant, quando quidem porrò in ipsis Paragraphi

verbis

verbis clarissimè conceduntur moderna vectigalia, hoc est, omnia ea, quæ tempore belli ad omnia littora & Portus fuerunt imposita aut imponi potuerunt. Horū verborū perspicuitate nihil omninò esse potest dilucidius, explicatur tamē præterea per verba pluralis numeri, ad littora nempe & Portus, non duorū tantū Wismariensis & Warnemundensis, ut initio hujus negotij tractabatur, nec etiam solius Civitatis Wismariensis, quæ cum sui portus liberrima dispositione in superiori Paragrapho separatim cōcessa fuit, sed Megapoleos in genere, & ne meritis Regni Sueciæ in tranquillitatem communem, adeoq; Domū Megapolitanā fraus fieret, cum manifesta sua extensione ultra loca in Megapoli cessa, adeo ut nullum littus, aut Portus Megapoleos hodie sit, vel dehinc Commercijs exercendis institui possit, qui non Nobis & Regno Sueciæ, vigore hujus Paragraphi, vectigal debeat. Accipienda enim sunt verba ob compensationis favorem, (quo modo de hoc jure merito hic loquendum est) in populari suo sensu & propria significatione, nec restrictio ulla admittenda est nisi quæ in Instrumento pacis expressè ostendi, aut ibidem admissa probari possit. Etenim si talis restrictio vel exceptio admissa fuisset, ejus utiq; Vestigiū aliquod in unica nostra regula & Norma, hoc est, publicæ pacis Tabulis, quæ à tot Interessentibus & in conspectu totius Europæ condebantur, omninò appa-

pare-

Demonstratio

Quæ

Docetur, Sac. Cas. Maj. non recte & fideliter esse informatam de negotio præliminari inter Sueciam & Poloniam, & consequenter disteras ejusdem Personæ in Hungaria die 18. 28. Augusti 1659. scriptas ad Eminentiſſimum & Celsiſſimum Electorem Moguntinum nisi principis manserit idoneis, & Sueciam culpā illius more, quæ eidem imputatur, vacare.

I.

IN negotiis quibus via struitur ad Tractatum aliquem principalem inter Reges & Populos, tria præcipua capita, ut plurimum solent in considerationem venire, nempe, 1. loca Tractandi, 2. Tempus congregiendi, & 3. Securitas tam locorum, quam personarum tractantium, & earum, quæ à tractantibus dependent; utpote quibus (ut in itu, commoratione & reditu tibi sint) adornato & exhibito hinc inde Salvo Conductu, caveri solet. Qui verò obstacula omnia removere & sine ambagibus ad rem tractandam venire volunt, solent etiam inter prævia negotia examinare & adornare procuratoria, ut & de modo agendis sive per Mediatore, sive ut absque his tractatio fiat, inter se convenire.

II.

In præliminaribus negotiis ad componendam Controversiam quæ diuturno jam tempore inter Sueciam & Poloniam vertitur, non adeo magna fuit discrepantia inter partes de loco, tempore & modo agendi, quandoquidem de duobus prioribus facile consenserunt & Mediatore fere semper adhibuerunt Galliam, Angliam & Vnitum Belgium; sæpe etiam Electorem Brandenburgicum. Verum de Salvis Conductibus & procuratoriis concinnandis major difficultas propterea suborta est, quod Reges Poloniæ, nullo licet jure, fulti, præfendebant titulum Regni Sueciæ & hunc derogabant ipsis Sueciæ Regibus.

III.

In novissimarum induciarum tractatu Anno 1635. in pago Regiæ Borussiae Stumsdorff inter Sueciam & Poloniam habito, & die 2. Sept. st. vet. ibidem concluso conventum est, ut (in pactis induciarum Stumsdorffianarum nullus est expressus articulus de titulatura inter Reges Sueciæ & Poloniæ, post inducias conclusas observandâ) ad exemplum titulaturæ in inducialibus iisdem pactis & Regum desuper exhibendis Ratificationibus titulatura inter ambarum Nationum Reges & populos observaretur cum tribus &

B

cate-

erationibus, idque mediatorum attestacionibus mox est roboratum, & usu, commercioq; literarum & actorum hinc inde inter ambarum nationum Reges & Officiales commutatorum deinde est observatum.

IV.

Quandoquidem pacta Stumdsorffiana Artic. XXII. disponunt, ut durantibus ac currentibus illis induciis ageretur de pace perpetua, loco & tempore, interventuque Principum Mediatorum, de quibus inter partes convenerit; & curâ cum primis Regis Christianissimi Lubecæ Anno 1651. & 1652. tractatus talis de pace perpetua inter Sueciam & Poloniam institutus fuit; ideo utriusque partis Legati plenipotentarii quidem dicto loco & tempore præfinito comparuerunt, sed in negotio principali inter eos nihil est actum; de plenipotentiiis verò dedolendis totam tempus consumtum, detrectantibus Polonis cum primis largiri Regiæ Sueciæ titulum, secundum Conventionem Stumdsorffianam. Observatione verò dignissimum est, Suecos Anno 1655. Warsaviæ in Metrica Regni Poloniæ invenisse Protocolum seu diarium dictæ commissionis Lubecensis, & in ejus contextu exstare, quod ratione titulaturæ (quam Suecici Commissarii secundum Conventionem Stumdsorffianam urgebant) Polonici Commissarii inter se fuerint discrepantes, suadente Castellano Chelmenfi ne acriori tituli propugnatione innocenti damnum pareretur vitulo: Vult, ait idem Chelmenfis, Rex noster æqualem sibi & Regiæ Sueciæ titulum tribui, vel, si fieri possit, circumlocutione aliqua generali supprimi; sed hoc posterius nobis amplius non est integrum propter nimiam in novissimis tractatibus Stumdsorffianis Polonicorum Commissariorum licentiam, commissam non tantum infami sigilli Regii rasura, sed etiam tacitis iisdem pactis super modo commercii & communicationis cum Suecis. Et si à nobis instantius urgeretur fieretque causa discessus, facile à Suecis in Convulsionem pactorum baptisari posset. & in tempestivum causari bellum, cujus aversio quantam nobis oblabefactatas Reipublicæ vires imponat necessitatem, nemo est, qui non perspicit. Huic assensit Capitaneus Mitaviensis: Castellanus verò Gnesnensis à Collegis dissentiens ostendit, non esse metuendum Suecorum bellum, eos quidem cum Imperatore pacem habere, non propterea tamen mutua odia cessare: esse res Suecorum in Germania malè firmatas: Non sine causa Legatum Suecicum Salvium (Ministro Suecico tunc temporis ad Aulam Imperatoris degenti suboluit, agitur inter Ministros Cæsaris, Legatum Hispanicum & Residentem Regis Poloniæ de dissolvendo tractatu Lubecensi & propterea Legatum Sueciæ Dn. Salvium, Lubecæ tractatus ejusdem causa degentem de illa re monuit) suspicari Hispanorum Legatum in Poloniam nuper missum, laborare, ut Poloniam promissis ab incunda cum Suecis concordia retrahat: Certum est (ait idem Castellanus Gnesnensis) ei fini promitti classem &

belli

belli nervum quoties opus fuerit contra Sueciam & vicissim ut Hispanicis solis Civitatibus commercium permittatur Polonicum & Rex in portu Gedanensi semper habeat naves ad asserendum pro sua parte Balthici maris dominium. Hæc ex diario Commissionis Poloniæ deprompta docent, quòd Austriæ instinctu Poloni contra Stumdsorffianam Conventionem & usum introductum redorti sunt titulaturam in dubium vocare, & pacem tum facere detrectaverint.

V.

Quamquam Rex Poloniæ vigore pactorum Stumdsorffianorum & quidem per Articulum I. & II. specialiter obligatus erat abstinere omnibus ^{Adg. Euer} perturbis & clandestinis per se & per alios instituendis molitionibus contra Reges & Regnum Sueciæ, tamen pace in Imperio constituta & postquam Suecia deposuisset arma, ex supra indigatorum amicorum suorum suggestione, ne, apertius quàm unquam antea sub induciis, contra Sueciam agere & hostilia moliri cœpit, ab una parte promittendo Cossakis trophæa, divitias ^{hinc} sedes in Ltvonia & licitando animos Livonorum ad defectionem, ab altera ^{gen.} parte agendo in Dania, Belgio, Curlandia & alibi de navibus apparandis & societate quadam contra Sueciam. Omnium verò indignissimum & Sueciæ intolerandum fuit, quòd Rex Poloniæ audiens Anno 1654. Serenissimam & Potentissimam Reginam Christinam velle abdicare se regno & Coronam Sueciæ capiti principis hæreditarii, moderni Sueciæ regis imponere, sustinuerit per expressum literisque fidei munitum Internuncium r. publicè in audientia coram Serenissima Regina protestari contra translationem Regni Sueciæ in S. Reg. Maj. hodiè Sueciæ imperantem, & idem Regnum sibi (Regi Poloniæ) asserere. 2. Apud Regni Sueciæ Archiepiscopum & alios serere sermones ad disidia Ordinum & seditionem spectantes, idque utrumque diebus aliquot ante Coronationem Anno 1654. Upsaliæ factam. Nulla res nisi summa Serenissimæ Regiæ veneratio & auctoritas eundem Polonicum emissarium à pœna, quam hoc impudenti facinore meritis erat, immunem tunc præstare potuisset. (æterum quàm seriò illi nomine S. Reg. Maj. hodiè regnantis tum inculcatum fuerit, ut Rex Poloniæ hanc apertam induciarum inractionem vel missa solenni Legatione refarciret, vel arma expectaret, id ex actis de hac re editis videre licet. Emissarius ille Polonicus auditâ hac denunciatione conatus est rem delinire & productis literis cujusdam ex proceribus Poloniæ certiozem fecit S. Reg. Majestatem, venturam brevi Legationem Regis Poloniæ in Sueciam, quæ quicquid hujus protestationis causa natum esset offensionis, tolleret. Tantum verò abest ut id mox factum sit, ut Rex Poloniæ missa Cubiculario suo Morstano cum literis fiducia ad Sac. Reg. Majestatem Sueciæ debitam titulaturam non adhibuerit, & alias durantibus motibus Bremensibus, hostilia omnia & fœdera in Belgio & Dania contra Sueciam, classemq; in mare Balthicum introdu-

cendam molitus sit; Legationem vero in Sueciam non ante miserit, quam anno integro post Emiffarii illius egressum e Suecia, & quidem postquam vidit Bremensi motu sopito in Germania res Suecorum iterum firmari, & bellum sibi ob molitiones patefactas à Suecia imminere. Rex ergo Poloniarum, & ipsam, qui Regem Poloniae in Lubucensi tractatu à pace perpetua averterunt, & animarunt ut contra conventionem Stumsdorffianam tantas molitiones strueret, titulaturamque Regi Sueciae debitam denegaret, in causa sunt, cur S. Regi Maj. Sueciae Anno 1657 arma contra Poloniam resumerit. Id hic merito observandum venit, quod dicta Regis Poloniae Legatio Anno 1655. in Julio Stockholmiam veniens attulerit in literis fiduciae & procuratoris Regis & Republicae Poloniae debitam & convenientem pactis Stumsdorffianis Titulaturam. Quod propterea adducitur, quia ad horum procuratoriorum tenorem Suecia postea voluit & saepe urfit ut Polonica procuratoria adornarentur. Cur vero nihil neque in Suecia neque postea Anno 1655. 1656. & 1657. in Polonia & Borussia tractari potuerit, dictum est in Memorialibus Suecicis hic Francofurti editis. Id etiam intactum non debet relinqui, quod (§. *wie esserig weyland mein in Gottorubender Herr Batter/10.*) de oblata Imperatoris Ferdinandi III. mediatione Austriaci semper in opprobrium Sueciae referre satagunt. Ablegatus Imperatoris ad Regem Sueciae Dn. Comes de Pöttinger existimationis utique sua est observans. Quod si ergo ille aliquid desiderat in iis, quae in Sueciae tum Ablegati Biörenklavii Memoriali die 22. Septemb. Anno 1657. Ordinariae Deputationi exhibitae & ibidem de Commissione ejus ad S. Reg. Majestatem Sueciae relatae sunt, depromat hoc, aut certe curet, ut alii desinant talium tamque impertinentium imputationum contra Sueciam. Scit Dn. Comes de Pöttinger, se esse in culpa, quod serius admissus sit ad audientiam: Scit se pro Chara & re Ablegati, quem gessit, & in audientia & aliis decenter esse habitum: Scit etiam se ne verbo quidem sive in propositione sive aliis attigisse Electoralem Mediationem; neque literarum imperialium ab illo allatae ullam ejus rei mentionem faciunt: scit utique Imperatorem non Mediationem, sed absolutum arbitrium affectasse; scit sibi à Sac. Reg. Maj. Sueciae per saepe dictum Biörenklavium fuisse oblatum Warfaviae post audientiam, ut Sac. Reg. Majestatem exercitumque ad aliquot dies comitaretur, quo in itinere de modo interveniendi ageretur; quodque sequi recusaverit: Scit quibus itineribus & occupationibus S. Reg. Maj. occupata fuerit, dum ille interea inter Polonos & Jesuitas delitescens, non de Mediatione, sed rebus ad bellum tendentibus ageret.

VI.

Quod attinet procuratoria & Salvos Conductus, quorum causa S. Reg. Maj.

Majestas Sueciae culpatur, quasi illa in debita forma non produxisset, & hos nondum exhibere voluisset. Nemo equidem qui considerate legitur adjunctum sub N. 1. Memorialem libellum datum Dn. Akakiae Wismariae die Novemb. Anno 1657. ituro in Poloniam, dixerit S. Reg. Maj. Sueciae noluisse procuratoria & Salvos Conductus in debita forma expedire. Nam in horum duorum accurata adoratione & prompta expeditione sita erat tractatus promotio; in eorundem vero disputatione & retardatione vertebatur ob titulaturae differentiam tractatus obstaculum. Et horum intuitu S. Reg. Maj. sua sponte proposuit & saepius urfit ut tam plenipotentiis, quam Salvi Conductus communi partium studio utrinque examinarentur & adornarentur.

VII.

Dn. Akakias reversus ex Polonia ad aulam Regiam Sueciam Wismariae in Decembri ejusdem anni adhuc agentem, nullam à Rege Poloniae attulit scriptam resolutionem super libello illo Memoriali, sed Cancellariae Regiae Sueciae Relationem quae sub N. 2. adjicitur, exhibuit: ex qua (§. la premiere explication &c.) videre est, Poloniae foederatos tantum postulasse uberiores explicationem super dicti libelli Memorialis Articulo Sexto, an scilicet Sueciae vellent etiam cum foederatis Poloniae tractare? De procuratoriis vero & Salvis Conductibus explicatur Poloniae & foederatorum mens (§. pour la forme des plein pouvoirs & souff conduits &c.) satis frigida. Notandum ergo est quod tum duo distincta fuerint postulata; unum concernens S. R. M. declarationem super sua voluntate tractandi cum Poloniae & ejus foederatis; Alterum vero de plenipotentiis & Salvis Conductibus. Ad prius illud à Dn. Akakia prolatum postulatum responsum est à S. Reg. M. Sueciae Wismariae, nempe velle suam Majestatem cum Rege & Republica Poloniae, foederatisque Poloniae tractare; idemque se vicissim ab ipsis (scilicet ut cum Sueciae foederatis velint tractare) jure meritoque expectare, instando simul quoad alterum postulatum suum ut Poloniae se super plenipotentiis & Salvis Conductibus categorice declararet. Ut vero Resolutionem hanc effectus ipse sequeretur, Gottorpii in Januario Anni 1658. expediti sunt Commissarii Suecici cum plenipotentiis tractandi tam cum Polonis, quam cum Hungaricis Commissariis, aliisque Poloniae foederatis.

VIII.

Quod vero jam inde usque in Martium hujus anni nihil ex parte Poloniae & ejus foederatorum in illa re actum sit, indicat sub N. 3. addita Legatorum Suecicorum informatio super preliminaribus tractatus pacis (§. cum primis ejusdem informationis Articulus Septimus) Legato Gallico Dn. Equiti de Trelon Stetini die 12. Martii Anno 1659. tradita & in optima forma eidem recommendata.

N. 1.

N. 2.

N. 3.

Si Cæsarei Commissarii (ut habent sæpe dictæ literæ Imperiales) integro illo anno, quo à tempore Imperialis Coronationis cum omnibus requisitis ad tractandam & concludendam pacem parati in Polonia dicuntur fuisse, docere & proferre potuerint, si non tale aliquod testimonium, quale supra allegata informatio Sueciæ suppeditat, de propensione Sueciæ ad complanandos plenipotentiarum & Salvorum Conductuum defectus, saltem aliquod indicium curæ suæ pro expediendis tricis præliminaribus *Suecica Legationis oblatum*, tum Domum Austriacam magnâ contrariæ intentionis suspicione liberaverint. Non sufficit dixisse Cæsareos Commissarios omnibus requisitis per tantum tempus fuisse paratos ad tractandum & concludendum, sed oportuit eos pariter ac Suecos & Polonos venisse in rem præsentem; produxisse apographa tam plenipotentia suæ quàm Salvi Conductus pro Sueciis, ut simul sub censuram venirent. Siquid cum Polonis egerunt, id non potuit compertum esse Suecis.

N. 4. Sed audiatur quid Cæsarei in Suedico procuratorio Polonis tradendo & sub N. 4 hic adjuncto reprehenderint. Dicunt in procuratorii relativo mentionem fieri de Poloniae fœderatis, in dispositivo autem ejusdem procuratorii nullam fœderatorum mentionem injici, & propterea à Sueciâ hoc ipso intendi, ut Sueci in futuro tractatu cum solis Polonis (excluso Cæsare) tractent & concludant pacem. Conceditur quidem, quod in Relativo fiat mentio fœderatorum & in Dispositivo illa omittatur; sed negatur illud, quod inde inferitur de intentione Sueciæ excludendi Cæsarem. Nam Suecicum procuratorium tractandi cum Cæsareis, potest mutatis quibusdam circumstantiis, quoad rem de qua loquimur, pari modo formari pro ut illud, quod Polonis erat exhibendum: Et sic ex Relativis utriusque procuratorii concludi, quod Sueciâ velit tractare & cum Polonia & cum Cæsare: Ex Dispositivis verò eorundem procuratoriorum elici, quod Sueciâ vigore unius procuratorii cum Polonia, vigore verò alterius cum Cæsare velit & tractare & concludere. Separata fœderatorum Procuratoria nullam important divisionem neque causæ & materiæ tractandæ neque etiam Instrumentorum præsentium. Osnaburgis Suecici exhibebant suam, & Hassiaci, Sueciæ fœderati, exhibebant suam plenipotentiam; in rebus tractandis servabatur ordo, & omnibus absolutis unum conficiebatur Instrumentum. Et si in futuro tractatu Sueco-Polonico, duo conficiantur Instrumenta, alterum inter Sueciam & Poloniâ & alterum inter Sueciam & Cæsarem, aliosque Poloniæ fœderatos, ane hoc praxi aliarum gentium foret dissonum? Reges Sueciæ & Gallia fœderati separatis locis in Westphalia cum Cæsare tractarunt & separatis Instrumentis eandem pacem comprehenderunt. Non erat neque simpliciter necessa-

recessarium ad absolvendam rem præliminarem, neque obligatio aliqua mutua ex parte Sueciæ & Polonia, ut procuratoria ante principalis tractatus congressum utrinque examinarentur. Sueciâ sollicitudo pro tractatu ipso principali maturando ansam dedit Polonis (ut supra est ostensum) examinandi procuratoria, ut quæ Lubecæ ob plenipotentias & titulos incidit disputatio, hac præviâ negotiatione præscinderetur. Neque propterea examen & adorationem plenipotentiarum conditionem sine qua non iretur ad loca tractatus, constituerunt, sed rei promovendæ causa hoc monuerunt, parati ire ad loca Tractatus, quàm primum desideratos Salvos Conductus accepissent, etiamsi in plenipotentis utrinque extradendis adhuc superesset difficultas. Nam conventio de loco, tempore & securitate præliminarem rem absolvit. De plenipotentis & modo agendi in tractatu inter partes, nunc in præliminari negotiatione, nunc in loco principalis negotiationis tractari solet. Cujus utriusque rei exempla in promptu sunt. Et Lubecensis Tractatus occupatus fuit in solo plenipotentiarum examine. Quamobrem videntur Cæsarei hoc non necessario & tamen operoso suo scrupulo vel non satis firmitatis posuisse in fide (verba sunt Principis Aversbergii de Polonis in voto ejus Pragæ edito) gentis polonæ non semper fidæ & propterea fulcrum petiisse in Suecicis plenipotentis, vel profectò nondum inscripto quæsiisse, & ut Lubecæ suis promissis Poloniâ à perpetua pace abstraxerunt, & tricis plenipotentiarum injecerunt; ita nunc tempori lucrando talia obstacula tractatui objecisse. Certè constantia fœderatorum inter se non nititur procuratoriis adversæ partis, sed mutuis fœderatorum pactis, fide invicem datâ & concordibus consiliis, rationibus, actionibusque.

Quod verò Concipissa allegatarum Cæsarearum literarum asserat, daß die Schwedische die benöthigte Gleichbriefe bis dato eben so wenig (als die Vollmachten) zur Hand bringen können / eo ipso non Sueciam, sed Poloniâ, & quidem Cæsarem quàm maxime moræ hujus arguit. Quibus curæ & cordi est cognoscere hujus assertiois veritatem, legant Diarium Europæum, quod his nundinis Francosurtensibus prodit, & quidem à pagina ejus 121. usque in finem, invenientque ibidem certis locis scripta inter Legationes Suecicam & Gallicam commutata & iis adjuncta alia, quibus ostenditur, quod dum Suecici Legati omni studio præliminarem negotiationem & præsertim securitatem transeundi promotum iverunt; Poloni nunc in sigillis, nunc in verborum quorundam sive omissione, sive oppositione (suane sponte, an fœderatorum fascinatione, ipsi cogitent) subterfugia quidem diu quæsierint, & tandem tamen suos Salvos Conductus in desideratâ formâ expedierint; Cæsarei verò, qui aliis volunt persuadere, se integro jam anno omnibus necessariis requisitis fuisse paratos ad tractandum

dam & concludendum, & tamen nunquam voluerunt copiam facere plenipotentiæ suæ & Salvi Conductus pro Suecicis Legatis, tandem deprehensum habere vitiosissimum illum (qui sub N. 5. adjungitur) Salvi Conductum. Nam si Sac. Reg. Maj. & Regnum Sueciæ considerentur, vitiositas hæc summa est, quod dum Rex Poloniæ introducit Stunsdorffianâ & ceteratione & tituli abbreviaturâ utitur in suo Salvo Conductu pro Suecicis, Casar in passu portu suo & quidem Suecicis Legatis exhibendo, attribuat Regi Poloniæ titulum Regni Sueciæ. Verisimile est Casareos novæ moræ generandæ causa vitiosum Salvi Conductum misisse, & sibi præfigurasse, Suecicos non esse acceptaturos talem Salvi Conductum & propterea cum à Dn. Akakia illis in Pomerania ostenderetur, recusaturos ante exire è Pomerania, quam vitium illud emendaretur, & justus Salvi Conductus à Casareis traderetur. Verum Legati Suecici, etsi ob talem defectum non potuerunt acceptare Casareum Salvi Conductum, Suecicum tamen, quem pro Casareis habuerunt in promptu, Dn. Akakia cum certalimitatione exhibuerunt, & freti Polonico Salvo Conductu primum Wolgastum, & deinde die 27. proximè præcedentis Mensis Augusti in Borussia contenderunt. Speculatione quoque dignum est, quod Casareus Salvi Conductus (quatenus verba sonant) expeditus dicitur Francofurti ad Mœnum die 20. Julii, Anno 1658. & sit subscriptus à Georgio Ulrico Comite a Wolckenstein, qui tamen non fuit tunc temporis Francofurti. Dum concipista apposito loco Electionis & citato tempore Coronationi propinquo, summam diligentiam in pace promovenda ostentare cupit, Dominum suum quæ sita moræ suspectum reddit. Nam omnes qui hic fuerunt tempore Electionis & Coronationis noverunt & Imperii Vice-Cancellarium Dn. Comitum Curtium eo præsertim tempore quo data sunt literæ Imperiales polluisse iis Corporis viribus, ut ipse posset talibus literis subscribere & Dn. Comitum a Wolckenstein in hæreditariis Austriacis provinciis tum fuisse. Non falleretur fortè, qui dicere & asserere vellet expeditum esse eundem Salvi Conductum post mortem Comitum Curtii & quidem præter propter die 21. Aprilis hujus anni, quando scilicet Veredarius Casareus cum plenipotentiâ & procuratorio in Poloniam expeditus fuisse, multorum fide dignorum literis Vienna tum missis, confirmabatur. Ex supra dicto ergo vitioso Salvo Conductu Casareo, dato (ponamus tum fuisse expeditum) Francofurti die 20. Julii 1658. præsumere licet priorem illum (ut sonantissimè allegatæ Imperiales literæ Francofurti ad Mœnum die 15. Aprilis Anno 1658. in Poloniam missum, grandioribus adhuc defectibus inventus est.

Cas. Svec. facienda præscribit, eadem sibi potius dicta putet nempe ut Cas. sua Maj. ingens illud sui Salvi Cond. vitium emendet, Salv. Cond. extradat, Copiam faciat suæ plenipotentiæ & posthac, melius quàm hæcenus factum est, paci & conservandæ in Imperio & in Polonia promovendæ operetur. Nam consideremus duo cum primis quæ Princeps Aversbergius Anno 1657. in suo voto Regi & Domino suo inculcat in negotio tractatus Sueco-Polonicum. In fine ejusdem voti inter ea, quæ Lipsiæ faciendæ erant, duo illa reperiuntur. Suedet idem Princeps 1. Ut nulli tractatus præliminares admittantur, sed statim de re esse tractandum. 2. Ne admittatur ullus Mediator & ne quidem Gallia, sed præstitis hinc inde officiis ab Electore Brandenburgico inter tractandum partes principales rem per suos Ministros peragant. Hæc ille tractandum partes principales rem per suos Ministros peragant. Hæc ille Eventus verò & interjecti temporis actiones docent, utrumque horum Consiliorum esse effectui datum ab Austria: Sed cui fini & intentioni? Ut de pace nihil ageretur, belli verò fomes duraret. Secreti sæpe tractatus, etiam inter populos infensissimos instituuntur; sed ita tamen ut securitati huius vel illius personæ tractantis & in hostili territorio versantis, pro ratione circumstantiarum prospiciatur. In novissimo bello Germanico (ubi tamen major pars Ordinum media fuit inter belligerantes & belligerandi exper) non potuit veniri ad tractatum principalem, nisi præviâ conventionem præliminari Neque sine Mediatoribus inter Casar. & Sueciam pax conciliata fuit. Ordinum Imperii Legati pro rerum exigentia & ubi nodus alicui incidit, inventu & operâ suâ difficultates & tricas multas expediverunt. Populos Sueciæ & Poloniæ tot continuis bellis invicem exacerbatos & mutuis cædibus adhuc cruentos, velle sine certo securitatis fulcro congrædi & quidem in Polonorum ditionibus; imo eosdem velle absque interventu alicujus Mediatoris conciliare, hoc non est aliud, quàm rem intricatam magis magisque involvere. Et siquidem Casareani sine præliminaribus statim de re ipsa voluerunt tractare, cur tot sibi à Suecia oblatas transigendi occasiones contemptim exceperunt? Cur illi, qui omnibus persuasum voluerunt, se non esse Sueciæ hostes, non præbuerunt exemplum Polonis & hos in oblata reconciliationis viam non adduxerunt? Iudicium verò id est, quod Princeps Aversbergius suadet, ut Elector Brandenburgicus, quem Austria jam tum à Sueciæ societate abduxerat & Sueciæ reddiderat infensissimum, Mediatorem proponat, rejecto Rege Christianissimo, qui jam diu est ab utroque Rege belligerante pro Mediatore agnitus, qui utriusque Regi est amicus & qui paci reducendæ diligentem operam navat. Summa omnium hæc redit, nempe Austriam non voluisse neque secretum neque apertum & solemnem tractatum inter Sueciam & Poloniam: sed eò manibus pedibusque contendisse, ut incendium Polonicum in Austria commodum aleretur.

Quis Germanorum Patriæ suæ libertatisque amans sine horrore in Cæsareis literis legat *S. Und wil Ich auff meiner Conföderation instendiges Anhalten* / Imperatorem præterito & spreto Electorum, Principum & statuum Consilio & consensu, ad instantiam fœderatorum suorum, Regum scilicet exterorum, Daniæ & Poloniæ, ut & unius Electoris Brandenburgici, pacem Imperii rumpere & bellum Principi Imperii & Consorti imò principali pacis paciscenti Regi & Regno Sueciæ inferre. Certè Rex Poloniæ in resolutione (quæ Memoriali Suecico de d. 30. August. Anno 1659. sub lit. E. adjungitur) data Cæsareis Legatis Warfaviæ præterito Mense Junii hujus anni docet, Cæsarem requi sivilisse ut Poloni expeditionem unâ secum in Pomeraniam susciperent. Cæsar ergo est & ille, quem Generalis de Souche appellat Naturalem Pomeraniæ Dominum; qui expeditionem illam in Pomeraniam instantissimè urserunt.

Atqui Cæsar dicit Pomeraniam esse fomitem belli Polonici, & nisi fœderati Regem Sueciæ in propriis ditionib' aggrediantur, non facturum belligerandi finem: Non esse Imperatori & fœderatis in mente, ut acquirant sibi Pomeraniam, sed ut hoc modo extorqueant pacem à Sueciâ. En officias Austriacas! Quemadmodum superioris belli Germanici initio speciosi prætextus quærebantur animis Ordinum soporandis, dum Austriæ vires surgerent & Imperium inundarent: ita nunc Austriaca

Fistula dulce canit, bellum dum surgit in altum.

Qui considerat sex illa Suecica Memorialia, quæ intra biennii spatium hic Francofurti sunt producta & attentè legit Principis Aversbergici votum, facili negotio inveniet fomitem belli Polonici, & cui fini Sueciam nunc aggressi sunt. Sed fiat hujus demonstrationis compendium.

Quicumque (1.) pacem perpetuam, quæ Lubecæ inter Sueciam & Poloniam debebat fieri, impedivit (2.) Promissis nervis belli animavit Polonos ad molitiones contra pacta induciarum, & propterea (3.) causam & occasionem præbuit renato jam diu inter Poloniam & Sueciam præsentè bello (4.) Excitavit Moschos & Danos aliosque contra Sueciam (5.) varios populos exteros in Imperii viscera induxit (6.) Præliminare negotium impedivit & Solum Conductum in debita forma non dum expedivit (7.) Reconciliationis media susque deque habet, & (8.) bellum tandem in Imperio pro lubitu suo &

& contra leges Imperii accendit, Ille fomitem (quem Pomeraniæ non aliter ac lupus ovi turbatam aquam objicit) belli incendiique præsentis in sinu suo alit, Atqui Austria supra dicta omnia fecit & adhuc facit, id que probatur cum ex memorialibus Suecicis & juncto Aversbergico voto, tū ex hac demonstratione. Ergò Austria fomitem hujus belli & incendii in se & quidem in secretiori Cæsaris consilio alit.

Quod si Sac. Cæsar. Maj. ita cordi fuit & est pax salusque Imperii, ut contestatio in allegatis literis sæpius repetita sonat, cur in tanti momenti re & vigore legum, Imperii Electores, Principes & Status in Consilium non adhibuit? Cur Eminentissimi & Celsissimi Electoris Moguntini (à quo salutaria sibi suggesta fatetur) consilia non admisit & secuta est? Cur Imperii Ordinariam Deputationem (cui vigore legum in hujusmodi Magnis Imperii motibus concredita est Imperii securitas) conata est vel dissipare vel loco movere & eo ipso inutilem reddere? Quæ verò semper fuerit S. R. Maj. Sueciæ propensio in reconciliationem & pacem, docent Memorialia edita. Neque ad huc ab eadem propensione quicquam remittit. Francofurti ad Moenum die Septembrii Anno 1659.

Libellus Memorialis earum rerum quas S. Reg. Maj. Sueciæ, occasione relationis sibi nuperimè à Dn. Akakia Legationis Gallicæ Secretario è Polonia reduce factè, clementer desiderat, in Polonia ab Eodem convenienter insinuari.

Cum Sac. Reg. Maj. Sueciæ per Dominum Akakiam innotuerit Serenissimum Regem Regni que Poloniæ Senatores à pace cum Sua Majestàte Regno que Sueciæ ineunda non alienos esse; ideoque Sac. Reg. Maj. Sueciæ se itidem declarat ad pacem cum Serenissimo Rege Regno que Poloniæ tractandam inclinare, ideo quam primum suos denominare velle Commissarios Plenipotentiarios, qui cum Polonicis Commissariis congressi, pacis tractatum inter utraque Regna promoverè queant.

2.
ET quidem ad hoc pacificationis negotium accelerandum S. R. M. Sueciæ existimat, ut durantibus hisce tractatibus, Suecici Commissarii Frauenturgi, Polonici verò Braunsbergæ commorentur, in locum autem inter utraque oppida Medium, sub mediatione Christianissimi Galliarum Regis congregiantur, quoties opus erit, vel si hoc non placeat, S. R. Maj. Commissarii Marienburgi, Polonici verò, eo in casu, Gedani commorentur, ac inter ea loca inter medius Commissariorum congressui aptus eligatur. Ne si hoc ob interjectam Vistulam commodum visum sit, congressus utriusque partis Commissariorum Stunsdorfij instituat, extra congressum Suecicis Marienburgi, ac Polonicis Quidzini sive Marienwerder commorantibus ut in anterioribus tractatibus observatum fuit.

3.
PRouti S. R. M. Sueciæ ad rem promovendam locum, ubi Commissariorum congressus fieri debeat, designavit ita vicissim alte memorata S. R. M. diem eorundem congressui præfigendum Serenissimo Poloniae Regi committit.

4.
AD promovendum hunc tractatum Sueco Polonicum non parum conferre S. R. M. Sueciæ visum est, ut eo durante omnia loca vel Frauenburgum & Brunsburgum vel Marienburgum & Gedanum, vel Marienburgum & Quidzinum sive Marienwerder circumjacentia, intra aliquot Milliaria, prouti conveniri poterit, immunita ab omni hostilitate reddantur, ita ut deputatis utrinque Commissariis, una cum eorum Comitatu non solum quoties ipsis placuerit, tuto & libere venire & abire, verum etiam Cursores, Tabellarios & literas mittere, comneatum transportare, absque ulla vel molestia vel impedimento, liberum sit. Et quidem ut literis utriusque partis Commissariorum, sive ab iis scriptis, sive ad eos exaratis, non solum intra milliaria ob præsentiam Commissariorum, ab omni hostilitate ex communi consensu immunita, verum etiam iis in locis, ubi durantibus tractatibus, viget hostilitas, firma præstetur utrinque securitas, ne sub ullo prætextu, interceptantur, referantur, vel detineantur, sive illæ per Ordinarios Veredatios, sive extra ordinem per expresse missos afferantur, ita tamen, si posteriori casu, sive bicen vel alius cum literis mittatur, is vel ab alterutro Regum, vel Eiusdem Commissariis comneatum sive literas salvi passus in debita forma, & cum habeat, ne inde iusta offensionis occasio nascatur.

5. Im.

5.
IMprimis S. R. M. Sueciæ huic rei necessarium esse declarat, ut Commissariorum Eorumque Comitatus ac rerum ad eos spectantium securitati per Salvos Conductus in optima forma expeditos, utrinque præcaveatur. Et quidem S. R. M. ipsis Commissariis Serenissimi Regis Poloniae hoc in casu talem Salvum Conductum dare parata est, quo non tantum illi cum eorum Comitatu & rebus tuto & secure ad loca tractatus venire, ac ibidem commorari, verum etiam si forte tractatus inter utraque Regna prospero eventu carerent incolumes ad Regem suum, & si desiderent, præfidiario etiam milite Suecico muniti redire possint. Eodem modo ut à Rege Poloniae Suecis Commissariis prospiciatur, Salvos Conductibus in debita forma, & cum titulis sigilloque secundum pacta conventa expeditis, necesse est, ut hoc ex formula Salvorum Conductuum hic adjungenda latius videri potest.

6.
SI Serenissimo Rege Poloniae desideretur, ut aliis Confœderatorum suorum Ministris ad locum tractatus liber pateat aditus, S. R. M. Sueciæ de hisce certior facta, non denegabit desiderantibus Salvos suos Conductus, quò & illi tuto & secure ad destinata loca venire, ibique commorari ac prohibitu discedere queant. Idem S. R. M. Sueciæ à Serenissimo Poloniae Rege expectat pro iis, quos forte Confœderatorum suorum Ministros in locis nominatis adesse ac commorari velit.

7.
UTriusque partis Commissarii in majorem sui securitatem centum equites & centum pedites præfidiarios secum habeant, quibus stipati in loco intermedio quoties opus erit, congregiantur, eodem modo ut in ultimis tractatibus Sueco Polonicis observatum fuit.

8.
Quemadmodum autem procuratoria personas Commissariorum legitimant ac omnis negotiationis fundamentum & basis sunt, sic eorum imprimis ratio haberi debet ideoque S. R. M. Sueciæ suis Commissariis tale dare constituit, ut ejus projectum hic adjungendum demonstrat, similiter requiritur ut Serenissimi Regis Poloniae procuratorium, quoad titulaturam, sigillationem & omnia essentialia eodem modo conficiatur, quo illud fuit, quod Dn. Lelinski & Naruzewitz in Sueciam missi habuerunt. Verum cum

C 3

10

in præfenti Poloniæ statu ab ipsis Ordinibus Regni Poloniæ Procuratorium in forma Commissariis Polonicis dari nequeat, S. R. M. pro tempore eius loco acquiescet Procuratorio Senatorum Regni Poloniæ, modo nulli defectus essentielles in eo reperiantur, ac dicti Regni Senatores, tam pro se præsentibus, quàm pro absentibus, nomine Statuum & Ordinum Reipublicæ Poloniæ suo procuratorio subscribant ac spondeant à Republica omnia ea quam primum rata habere, quæ eorum Commissarii cum Suecicis in hoc pacificationis negotio Commissariis acturi ac conclusuri sunt. Wismariz Novemb. Anno 1657.

Num. II.

Relatio Dn Secretarij Akakiæ, exhibita Sac. Reg.

Maj. Sueciæ, Wismariz d. Decembris
Anno 1657.

La cour de Pologne aiant entendu par Monsieur l'Ambassadeur de France de bouche & par escrit le contenu au memoire dont Sa Maj. de Suede m'avoit fait l'honneur de me charger pour l'avancement de la negotiation, Et apres l'avoir communiqué aux Ministres du Roy d'Hongrie, de celui de Dennemarck, & de Monsieur l'Electeur de Brandebourg, Elle a député deux des grans Officiers vers Mond. S. l'Ambassadeur, pour luy demander des explications sur les pointz cy apres declarez, afin de pouvoir tant mieux l'expliquer de sa part & plus convenablement aux bonnes intentions de sa dite Majesté, apres quoy la dite cour de Pologne a promis de donner promptement sa resolution.

La premiere explication quelle a demandé & sur l'article des alliez, ou n'estoit fait mention quæ de venir & retourner & demeurer dans le lieu de l'assemblée & non pas pour traiter, elle a désiré, que Monsieur l'Amb. de France declarast par escrit, pour gagner temps & sans renvoyer vers sa dite Maj. de Suede, que son intention estoit de traiter en effet avec tous les alliez luy declarant de nouveau, comme elle a tousiours fait, ne pouvoir entrer en aucun traité sans eux. L'autre declaration que la dite cour a désiré de Mond. S. Amb. a esté que l'intention de Sa Maj. de Suede estoit d'agréer la mediation de Messieurs les Estatz, declarant de sa part qu'elle agréoit celle de France. Et pour le temps & le lieu de l'assemblée la dite Cour a les Moyens qu'il n'y auroit pas de difficulté quand les deux articles cy dessus n'en recevront pas.

Pour la forme des pleins pouvoirs & sauf conduitz, la dite cour pretend s'en tenir à ce qui a esté pratiqué aux precedens traittez, sice n'est qu'il se puisse trouver quelques expediens, qui seront plus agréables, declarant ce-

pendant assesque dans le traité la cession des titres, qui en est un article essentiel, ne recevra pas de difficulté & ne retardera pas la paix, que la France tache de procurer pour l'intérêt du bien public.

Sur tous les diis pointz Mond. l'Amb. de France ne peut donner les declarations que l'on luy a demandées, jusques à ce qu'il les ait eu de Sa Maj. de Suede pour ne pas s'engager au de la de ses intentions, & il a demandé à la Cour de Pologne le temps de revenir vers elle pour ce suict, & c'est ce que je viens solliciter de sa part, & ce que la dite Cour de Pologne attend pour donner une resolution Cathégorique sur l'Escrit qui leur a esté communiqué.

Num. III.

Informatio

Super Præliminaribus Tractatus Pacis, inter Sacram Regiam Maj. Sueciæ, & Serenissimum Regem Poloniæ, Christianissimi Regis Consiliario status & Legato Illustrissimo & Exc. Domino de Tresson, Equiti, data à Dominis Plenipotentariis Legatis ac Commissariis Suecicis, cum amicâ requisitione, ut in Aula Polonicâ eorum Expeditio in debitâ formâ quam primum procuratur.

Sacra Regia Maj. Sueciæ ad Tractatus Polonicos Plenipotentarij Legatis & Commissarij magno desiderio hætenus præstolabantur reditum Generosi Dn. Akakiæ à Polonia spe freti, fore ut Diplomata Salvorum Conductuum non tantum à Ser. Reg. Poloniæ, sed & ab Imperatore & Electore Brandeburgico pro Dn. Suecicis asportasset. Sed præter omnem expectationem perceperunt unicum tantum esse allatum, eumque Polonicum chartaceum, & quidem non in debitâ ac requisitâ formâ, quoad sigillum in eoque expressis Titulis. Unde non satis mirari possunt, qui sciat quod post toties repetita apud Exc. Dn. de Lumbres tum scripto tum ore tenus monita, Ejus Exc. tandè à Rege Poloniæ eum Salvum Conductum extraxerit, & non sine maguâ jacturâ temporis huc trãsmiserit, qui in sigillo cū primis multis usq; nõ ferè discedet defectibus, rasuris ac lacunis, ut acceptari nequeat. Neq; enim latere Dn. Legat. de Lumbres aut memoriâ ipsi excidere potuit, quæ non tantum de Titulis utriusq; Regi, sed

Sed etiam de Sigillis, imprimis Regis Polonia jam sapius cum eo acta sunt: nominatim Stetini Mense Martio & Vismaria mense Julio superioris anni 1658. Et qua praeterea de Sigillo Polonico Dn. Praeses Gyldenclau Mense Septembri praeter lapsi anni ad eum satis dilucide & copiose perscripsit, postulans illud Sigillum Salvo Conductui apponi quo Ser. Rex Polonia usus fuit Anno 1655 etiam postrenatum bellum, in aliquot suis ad Sac. Regiam Maj. Sueciae litteris. Quo eodem Sigillo firmata etiam fuit Polonica Plenipotencia Regia, qua Stockholmia Dnn. Legatis Polonicis eodem Anno est exhibita. Comprehendit autem Sigillum illud in Peripheria exteriori Titulum Regis Polonia abbreviatum, cum tribus Etceterationibus ad M. Ducatum Lithuania sine ullo hiatu ac rasura. In interiori Circulo Insignia Provincialia tum Magni Ducatus, tum aliorum Ducatum Polonicorum. In ipso autem corpore Insignia Regni Poloniae cum majori Corona Circulos ambos sursum intersecante, & additis saltem in centro insigniis Regis Gentilibus, cum minori Corona, Pro ut Exc. Dn. Legato de Terlon hoc ipsum ex Sigillo litteris Ser. Regis Polonia impresso ad vivum monstratum, & Exemplum ejus depictum pariter traditum est.

2.

Sed quod Sigillum Regis Polonia quo ob signata fuerunt allatae Poloniae Litterae Salvi Conductus attinet, non conspicitur in exteriori illius Circulo Regis nomen sed obtusa vel deleta sunt ea verba, Ioannes Casimirus Dei gratia, Rex: Et in interiori ingens lacuna prostat, in qua expunctus est, praetensius Regis titulus Suecicus, qui exprimi vulgo solet his verbis: nec non Suecorum, Gothorum Vandalorumque Hereditarius Rex. Quales quidem Expunctiones, Incisiones & rasuras anno 1635 a Cancellario Regni Polonia in Sigillo Regio commissas, Dnn. Commissarii Polonici in Tractatibus Lubecensibus de Annis 1651. & 1652. magnopere detestati, falsitatis prorsus damnassent, nisi Litteris Episcopalibus & Hollandorum fide & attestatis aliquantulum fulcita fuissent. Igitur non vident Dnn. Plenipotentiarum Suetici, quo vel honore vel spe succedentium Tractatum jam poterant agnoscere & recipere istum Salvum Conductum, qui ejusmodi Sigillo munitur, quod ferè nihil nisi deformationem ex plurimis lacunis & rasuris praesertit: ut vix dignosci possit Sigillum esse Regium Polonicum: nec vel observantia praedem inducta vel Iuri atque Existimationi Sacrae Reg. Maj. Sueciae respondet.

3.

Ne vero in alienum sensum trahatur, quod sapius monitum fuit, Titulaturam & sigillationem fieri oportere in debita forma & cum consuetis internumque Regem secundum Pacta Stumsdorffii conventa titulis & sigillis: Sanè qui,

quilibet judicare potest, Rem ipsam in Titulis & sigillis praedem correctam, & per observantiam introductam, non modum corrigenda, quem ipsimet Poloni damnarunt, a Sac. Reg. Maj. hactenus urgeri ac requiri.

Cetera quae in Contextu Salvi Conductus Polonici notari poterant, non ejus sunt momenti, ut si salva essent iam dicta Essentialia in Titulatura & sigillationis requisita, allatus huc Salvi Conductus renneretur, modo de securitate Dn. Commissarii Suetici rite prospiciatur. Cum vero alium fortasse sensum quam qui intenditur, nonnulla eorum generare possint, praecipua inde excerpta & Dn. Legato communicata sunt.

Atque ut eo citius promoveretur negotium transmittendorum Salvorum Conductum, ere & usu Ejus rei Dn. Commissarii esse existimant, ut de forma Salvi Conductus Suetici pro Dn. Commissarii Polonici Dn. Legato constaret. Atque propterea Exemplum illius, Excellentis Ejus exhiberi fecerunt: non dubitantes: quin illa simile quoad tenorem, Titulos atque sigillum Regium sit Dn. Commissarii Suetici procuratura: quaeque certiores omnes quoque interest, reddere poterit de sigillo Salvi Conductus Suetici pro Dn. Polonici, quod a parte Poloniae nihil in eo desiderari possit, cum ipsamet sigillum inspexerit.

Ac quoniam Dni Commissarii Suetici in mandatis habent, non tantum de ipsa Pace, sed & de preliminaribus ejus tractare & concludere, tamen ad maturandum tam salutare negotium, per tractationem Preliminarium Ejus Excell. sedulo committunt. Cum & hactenus Mediationi Gallica res ea commissa, & Vismaria praeterea astate cum Dn. Legato de Lumbrès, de locis tractandi, comitatu, determinatione certorum miliarium vel spatiorum, intra qua durantibus tractatibus nulla hostilitas exercebitur, de adibus congressuum Viriusque partis Commissariorum, deque modo agendi actum fuerit.

Loca quidem, in qua jam diu mutuo utrinque consensu conductum & stipulatum, fuit Brunsbergae & Frauenburgum, nullas vident Dn. Commissarii Suetici urgentes causas, cur in alia mutari debeant?

Sed ne quid remora iniiciatur Tractatibus, cum ad loca destinata perventum fuerit, iam ferè sequi annus est, ex quo Sac. Reg. Maj. Suetica summo studio usui & commendavit Negotium Procuratoriorum utpote qua personas Commissariorum legitimant, & omnis negotiationis fundamentum sunt. Nam Dn. Akakia tradito Vismaria Mense Novembri Anno 1657. certo libello Memoriali, una cum projectis speciminibus tum Regiae Sueticae, tum Regiae Poloniae & Ordinum Regni Poloniae, Magnaeque Ducatus Lithuaniae Plenipotentiarum commisit, ut ad Aulam Poloniae singula deferret & ad expeditionem promoveret. Expresse vero in articulo Ejus Memorialis Otharvo, praeterea Regiae Majestas requirebat, ut Ser. Regis Poloniae Procuratoriorum, quoad Titulaturam, sigillationem & omnia Essentialia eodem modo conficeretur, quo illud fuit, quod Dn. Lesinsky & Naruzevitz in Suetiam missi habuerunt. Nunc eo diligentius a Polonia certitudinem hujus rei & celerem expeditionem talium Plenipotentiarum Polonicarum Dn. Legati Suetici urgent, quo in prioribus Tractatibus compertum fuit, non dies aut hebdomadas, sed plures menses istis dedolendis fuisse insumptos. Exemplar certi Procuratorii Dn. Legato de Lumbrès ad ejus rogationem praeterea astate communicatum fuit. Nunc Dn. Legato de Terlon pro meliori ipsius informatione & citiori Plenipotentiarum Polonicarum promotione Dn. Commissarii Exemplum

D

ipsius

ipsum Procuratorii ad hosce tractatus exhibuerunt, cum coram spe ac reciproca fiducia fore, ut Dn. Legatus id pro sua singulari prudentia & studio provehenda Pacis efficiat, quod a Ser. Rege Polonia simile & ad eundem modum tenoremque conceptum ac sigillo Regio, quod Anno 1655. invaluit, communitum Diploma Procuratorii pro Dn. Polonicis Commissariis ad praefatos Tractatus expediatur, prout in hoc adjuncto projecto indicatur.

8. Præterea cum jam iteratis vicibus Dn. Ordines Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Generalia Comitia celebrarunt, necesse omnino iudicant Dn. Commissarii, ut ab illis extrahatur Procuratorium conforme illi, quod Ordines pro Dn. Lesinsky & Naruzg-vitz Anno 1655. expediverunt, cuius Exemplar Dn. Legato redditum est. Nisi quod solummodo Ingressus eius Procuratorii mutari poterit: Si ita necessarium sit, ut mutatis circumstantiis, Regio nunc dando Procuratorio, Ingressus tantum aptetur. Salvis tamen per omnia & non mutatis ceteris, qua isti priori Ordinum Procuratorio inserta, nec non sub & ob-signatione firmata fuerunt: prout ejus renovanda Plenipotencia specimen hic projectum Dn. Legato pariter traditum fuit.

9. Dn. Commissarii Svecici etiam atque etiam rogant Dn. Legatum, ut Diploma Salvo-rum Conductuum & pariter Copiam vel Exemplum Polonicarum Plenipotentiarum tum Ordinum, in dictis Essentialibus requisitis formatum & obsegnatum, quamprimum hic transmittat, ut Dn. Commissarii innotescat, quid de Poloniae spei super his futurorum Tra-ctatum.

10. Pro maturando Tractatu Dn. Commissarii quoque Copias Salvo-rum Conductuum Svedicorum, tum pro Casariis, tum pro Electoralibus Brandeburgicis Commissariis, Dn. Legato in Poloniae deferendas exhibuerunt, sperantes, ut similia Diplomata Salvo-rum Conductuum pro Svecicis Commissariis ab Imperatore & Electore impetrentur. Quæ admo-dum verò Regia Maj. Svecia in Salvos Conductus pro Poloniae federatis consensit, eosque expedi-vari fecit, ita Dn. Commissarii aequitati & mutua, quæ reciproca tenetur Polonia, obligati-oni consentaneum existimant, ut pro federatis Svecicis, eorumque Commissariis vel nunciis Salvi Conductus ad instantes Tractatus Pacis in Borussia à Rege Poloniae concedantur.

11. Præterea valde rogant Dn. Commissarii, ut Dn. Legatus serid velit urgere, idque pro sollicitudine sua efficere, quod non minus jam illic ante omnes Tractatus, quam in istis Tractatibus liber transitus pateat inter Borussiam & Livoniam tum Veredaris & literis hinc inde commercantibus, tum ne commercia inter vicinos populos plane intercidant, cum di- spendio non modo facultatum, verum etiam vita.

12. De Commetu vero sive Praesidiariis Cohortibus pro praestanda Dn. Commissariis se-curitate in itinere à Pomerania in Borussiam non dubitant, quin Dn. Legatus pro sua cura & circumspeditione vis sit prospexiturus, & ubi necesse fuerit, de specialibus Salvi Passus liti-eris Civitatis Gedanensis provisurus.

13. Hæc præcipue sunt, qua Dn. Legati Svecici à Poloniae Eiusque Federatis ante istos Tractatus principales requirunt, pro summo suo desiderio & ardore pacis instantissimè pre-gantes, ut Dn. Legatus velit pati hoc officii in se derivari, summaque ope in id emitti, quod præ-dicta, quamprimum fieri unquam poterit ad optatam Expeditionem promoveat, & Dn. Commissariis de singulis significet.

14. Prolixius autem quam hæcenus factum est, non possunt recommendare Dn. Legati, ut Instrumenta tum Salvo-rum Conductuum tum Procuratoriorum, imprimis Polonicorum, conscribantur & expediantur in omnibus Essentialibus & realibus requisitis, tum quoad re-

norem scripturae tum titulos, tum denique sigilla ad modum ac tenorem Svecicorum, & eor-um Polonicorum Procuratoriorum, qua Dn. Plenipotentiarum Legati Polonici Stockholmi-am 1655. attulerunt sed hic in projectis paulum mutata & presenti tempore aptata sunt: ne ex defectu talium Paci ulteriores remora injiciantur.

Sanè Sac. Reg. Maj. Svecia ex animo cupit, & vehementer desiderat cum Poloniae Eiusque federatis pacem, & Eiusdem Maj. Svecia Commissarii sincerè fide pollicentur nul-lum se temporis momentum accelerandi itineris in Prussiam & inchoandorum inibi Tracta-tuum pacis, intermissuros, Ex quo illis de supradictis constiterit, & commutato Salvo-rum Conductuum hic peracta fuerit.

Stetini die 12. Mart. Ann. 1659.

Num. 4.

NOS CAROLVS GVSTAVVS Dei gratia Svecorum, Gothorum, Wand. Iorum. que Rex, Magnus Princeps Finlandia &c. &c. &c. Notum testatumque facimus Vir-versis & singulis quorum interest, quod cum ad tractatum instituendum, de presenti hoc bello, eoque diuturno & funesto conveniente sapiendo, deque facienda perpetuitate pace, inter Nos Regnumque Nostrum Svecia & Nostros Federatos ab una, & Serenissimum Principem Fratrem, Consanguineum & Vicinum Nostrum, Dominum IOANNEM CASIMIRVM Regem Poloniae Magnum Ducem Lithuaniae &c. &c. &c. Nec non Regnum Poloniae & Magnum Ducatum Lithuaniae, Eiusque Confederatos ab altera parte, modis & via iniri-coperit, Atque Serenitatis sua nomine declaratum & contestatum sit, nihil, quod ad ejus-modi tractatum inchoandum, instituendum & plene perficiendum merito requiri poterit, à parte Eiusdem sua Serenitatis & Republica Polona, Magnique Ducatus Lithuaniae deside-ratum iri: Ideo testatur consensum Nostrum propositum & animi propensionem ad promovenda dicta pacis negotium, non modo in praefatum tractatum consensimus, sed illico etiam de-pulavimus & constituimus, sicuti etiam vigore praesentium deputamus & constituimus ve-ros & legitimos Nostros ad supradictum tractatum Commissarios Illustres, Magnificos & Ge-nerosos Nobis sincere fideles ac dilectos Dominum Magnum Gabrielem de la Gardie, Comitem in Letoo & Arensburg, Lib. Baronem in Ekholm, Dominum in Habsal, Magnushoff & Hoyendorp, Nostrum Regique Nostrum Thesaurarium, Generalem Gubernatorem Livoniae, & Locum tenentem Nostrum per Esthoniæ Livoniam & Ingriam militaria Generalem, Judi-cem Provinciale Westrogothia & Dalia, nec non Academia Upsalien-sis Cancellarium, Dominum Benedictum Oxenstierna, Comitem in Korsholm & Wasa, Lib. Baronem in Morebiis & Linholm, Dominum in Coporum & Rosersberg, Cancellaria Consiliarium, & Gubernatorem Palatinatus Culmensis, Dominum Christophorum Carolum Schluppenbach, Comitem in Schorvede, Lib. Baronem in Liusula, Dominum in Salinge Consilii Bellici Praesidem, omnes Nostros Regique Svecia Senatores, nec non Dominum Andream Gylklau No-stri per Pomeraniam Regimini ac Consilii Status, ut & suprema Curia Iustitia Praesidem, Hereditarium in Skonela Ekebi, Hylinge & Hulterstadt; dictisque Nostri Commissariis plenam potestatem damus, ut congressi cum alteremiorata Serenitatis sua & Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae ad talem actum eum plena potestate Deputatis & Constitutis Dominis Commissariis, nomine & auctoritate Nostra Regia, non modo de preliminaribus, & his, qua ad viam tractatus Principali inchoando complanandum facere deprehenduntur, statuunt & concludant; Sed etiam Principale pacis stabilienda negotium, omniaque & sin-gula, qua quocumque modo ad subortas hinc inde controversias componendas & finaliter ter-minandas, ut & ad mutua utriusque Partis commoda provehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, via & ratione agant, tractent, statuunt & concludant, conclusa In-strumento inserant, inserta vero & transacta firmant & perficiant; Atque adeo pactorum

con-

conventorum instrumenta invicem commutent. Promittimus itaque verbo Nostro Regio, ac vigore hujus Procuratorij, Nos caetera supra nominati Nostri Plenipotentiarii Commissarii, si ve omnes simul, si ve in unius vel alterius absentia bini eorum in saepe dicto pacis negotio tam preliminarium, quam principali Nostro nomine egerint, tractaverint, sanciverint & conclusiverint, omni meliori modo firma, rata, grataque habituros. In quorum fidem majorem praesentes Manu Nostri subscriptas, sigillo quoque Nostro majore communiti jussimus. Dabantur &c.

Carolus Gustavus.

(S.L.)
(Regni.)

Num. 5.

LEOPOLDUS DIVINA FAVENTE Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae &c. Marchio Moraviae, Dux Luxemburgiae, ac superioris & inferioris Silesiae, Wirtembergae, & Teckae, Princeps Sveviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Eretis Kyburgi & Goritiae, Landgravius Alsaciae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, ac superioris & inferioris Lusatae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis & Salinarum, &c. Significamus Universis & singulis, quorum interest, & qui Nostras hasce literas visuri vel audituri sunt, quod cum ad Tractatus instituendos de praesenti hoc bello convenienter sapiendo, deque pace perpetua faciendam inter Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum **J O H A N N E M CASIMIRUM** Regem Poloniae & Sveciae, Magnum Ducem Lithuaniae, ac Russiae, Prussiae, Salmogitiaque &c. Avunculum & Fratrem Nostri Charissimum Regnumque Poloniae, & Magnum Ducatum Lithuaniae, nec non Nos aliosque Eiusdem Confederatos ab una, & Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum **C A R O L U M G U S T A V U M** Svecorum Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae, Ducem

Ducem Esthoniae, Careliae, Bremae, Verdæ, Stetini Pomeraniae, Cassubiae & Wandaliae, Principem Rugiae, Dominum Ingraviae & Wismariae, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariae, Comitem in Veldentz & Spanheimb, &c. Consanguineum & fratrum Nostri Charissimum, Eiusque Confederatos ab altera parte modus atque via iniri coeperit, & in eum finem utriusque convenerit, ut dicti tractatus pacis primo quoque tempore in per utriusque partis Commissarios inchoarentur, Nos vero intellexerimus ad hosce Tractatus deputatos esse, praetacti Regis atque Regni Sveciae Commissarios Illustres, Magnificos & Generosos Magnum Gabrielem de la Gardie, Comitem in Leckoo, & Arensburg, Liberum Baronem in Eckholmen, Dominum in Habsal, Magnushoff & Hoyendorp: Benedictum Oxenstierna, Comitem in Korsholm & Wasa, Liberum Baronem in Moreby & Lindholmen, Dominum in Corporium & Rosersberg: Christophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schovde, Liberum Baronem in Liusala, Dominum in Salinge, omnes suae Serenitatis Regnique Senatores ac respective Thesaurarium, Generalem Governatorem, & Militiae Generalem Locum tenentem, Cancellariae Consiliarium, Governatorem & consilii Belli Praesidem, nec non Andream Guldenklavv, Regiminis & supremae Curiae Justitiae in Pomerania Praesidem, hereditarium in Schonela, Ekebi, Hilinge & Hilderstad; Idcirco ut dicti Commissarii, cum omni suo Comitatu, Ministris, famulis, scripturis, scriniis, sacris, equis, curribus, omnique eorum suppellectili, quo nomine veniant in tuto eant ac veniant, secure ibi degant ac subsistant & suo tempore inde etiam si Tractu prospero eventu caruerint, sine ullo impedimento & infestatione redeant; Nos proinde verbo veritatis, honore Nostro Imperiali & fide Christiana promittimus, nihil illis, eorumque Comitatu vel quoad personas vel quoad res ad eas spectantes, hostilitatis, periculi & discriminis sive in itinere partim in Pomerania, partim in Livonia in , aut in subsistentia inibi, aut abitu inde illatum iri, quin potius praesentibus literis nostris cavemus, ut ab omni nostratum insultu hostili

hostili, atq; insidiis undiquaq; liberi atq; tuti præstentur; Pro-
specturi illis ad dictum in _____, vel inde iter, cum postulatam
fuerit, pro majore eorum securitate, præsidario nostro milite:
Præterea, quod particularia in Borussia commorationum &
congressuum loca per Serenissimum & Potentissimum Regem
Poloniæ jam antea nominata ac recepta, Brunbergam &
Fraunburgum, aut si in posterum in alia conventum fuerit, quæ
non minus quam jam dicta loca præsidio partium evacuati, &
adjacentes hinc terræ & loca ad certa milliaria vel spatia, ex-
tra hostilitatem omnem ponenda & constituenda sunt, con-
cernit, cavemus ac promittimus hinc literis nostris, quod toto
illo tempore, quo duraverint Tractatus vel in ita ad tales con-
gressus, vel in locis Congressuum, vel in reditu ad hospitium &
stativa sua, nihil hostilitatis periculi atque molestiæ Commis-
sariis Suevicis, eorumq; comitatu, rebusq; ad eos pertinenti-
bus accelerabitur aut inferetur, sed hinc pariter asseveramus,
nostram hanc cautionem toto tractatus tempore & in omni-
bus congressibus, locis intermediis eandem vim habituram
esse. Spondemus etiam hinc literis Salvi Passus, Commissa-
riorum Suevicorum Cursoribus, Tabellariis, Postis & Vere-
dariis plenam securitatem in omnibus eorum viis & itineri-
bus, sive è Prussia in Germaniam, sive inde in Prussiam contem-
derint: Litteræ quoq; & literarum fasciculi à Commissariis ad
alios scriptæ & transmissæ vel ad eos directæ, plena ubiq; secu-
ritate potentur, nec sub ullo prætextu à nostratibus interci-
pientur, referabuntur vel retinebuntur, sive ille per postas in
Veredarios ordinatos, sive extra ordinem per Expressum
missos eò afferantur, vel inde deportentur. Mandamus igitur
omnibus & singulis Nostrorum Regnorum & Provinciarum
nostrarum hereditariarum Principibus, Statibus, & Subditis
tam Ecclesiasticis quam Secularibus, cujuscunque dignitatis
& præminentia fuerint, nec non Exercituum Ducibus, Ge-
neralibus, Colonellis, Castrorum, Civitatum ac Portuum Præ-
fectis ac Custodibus, cæterisque officialibus, & ipsi adeò mili-
tia nostræ, nullo penitus excepto, ut omnimodæ huic volun-
tati

tati nostræ, tabulisve hinc Salvorum Conductuum se exactè
conforment & obedientiam præstent, nec iisdem Imperiali
& publicâ fide datis ullo modo contraveniant, in cursu in
gravem nostram indignationem & pœnam transgressorum
mandatorum indubiè subituri, si secus fecerint. In quorum
fidem præsentem manu nostrâ subscriptas sigillo nostro Impe-
riali muniri jussimus. Quæ dabantur in Civitate nostrâ Im-
periali Francofurti ad Mœnum, die vigesimâ Mensis Julii,
Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octa-
vo, Regnorum nostrorum Romani primo, Hungarici tertio,
Bohemici verò secundo.

LEOPOLDVS.

Georgius Ulricus Comes
à Wolckenstein.

(L. S. Cæsar.)
appensi.)

Ad mandatum S. C. M. proprium.

J. Walderode, mppria.